

B. 61.

29

LECTIONES
PHILOSOPHICAS
ET
HISTORICAS
HIEMALES,
PVBLICAS ET PRIVATAS
IN
FRIDERICIANA ACADEMIA
INDICIT
IACOBVS CAROLVS SPENER,
IVR. D. ET PH. P. ORDIN.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.

Q. D. B. V.

DUm instans hiems novas meas Academicas operas
poscit, eas pagella hæc Vobis, **COMMILITONES**
HONORATISSIMI, breuiter indicabit, & strictim ex-
plicabit.

PUBLICICE.

HORA **VNDECIMA** (XI.) **MORALEM PHILO-**
SOPHIAM Venerandi D. **BUDDEI** pro digni-
tate argumenti longe vtilissimi & praestantissimi,
quantum potero, copiose & accurate pertracta-
bo. Dudum & quidem elegantissimæ Celeberrimi istius
Viri institutiones philosophicæ, inprimis *Moralis doctrine*,
eam impetrarunt in nostra academia adprobationem, quam
& propter rerum copiam, & decorum ordinem, & scri-
ptionis nitorem promerentur. Quo hic minus est opus,
multis verbis ad operam in illis præceptis, tum omnibus,
tum præcipue *Ethicis*, euoluendis collocandam **Commil-**
itones nostros cohortari. Initium vero publicarum le-
ctionum fiet **POST. ID. OCT.** eaque singulis *tribus die-*
bus hebdomadam prioribus continuabuntur.

PRIVATIM.

HORA SECUNDA (II.) in **EIVSDEM** laudatissimi
AVCTORIS PHILOSOPHIAM INSTRUMENTA-
LEM commentabor; singulas huius libri partes, quan-
tum erit opus, fufe lateque expositorus: inprimis *histori-*
am Philosophicam plenius enarraturus, & *Logicam cum Me-*
taphysica, quam vocant, facillima traditurus methodo.

HORA TERTIA (III.) in philosophicarum doctrina-
rum cursu, quem proxima ætate incepti, perrecturus, **IVS**
NA-

NATVRÆ ET GENTIVM simul AC POLITICAM doctrinam ad ductum Celeberrimi BVDDEI interpreta- bor. Et displicent quidem quibusdam breuiores in philo- sophicis doctrinis scholæ; nec adeo valde illud Neoptole- mi apud Ennium, *philosophandum esse, sed paucis*, placet. Qui aut meminerint, quam sit necessarium, omnium scientiarum nosse nexum, & quandam cepisse notitiam; quam au- tem difficile in paucis annis, quos Academica vitæ plurimi destinare solent, propter varietatem discendorum singulas disciplinas exhaurire; quam porro opportunum, percepta olim præcepta per meditationem repetere & diligentius excolere: non illi, credo, succensebunt instituto in philo- sophicis meo, ex quo singulis annis vna hora omnem *In- strumentalem & practicam philosophiam* cœpi expedita via meis peragrare commentationibus.

In HISTORIIS, quas imprimis colo, & propter argu- menti excellentiam in præcipuis habeo deliciis, binis ho- ris Commilitonum Honoratissimorum commodis inferui- am.

HORA itaque NONA (IX.) VNIVERSALEM GE- OGRAPHIAM, physice, historice, politice, docebo. Præ- fto erunt tabulæ, in quibus regnorum & regionum situs, diuisiones, & fines, tum antiquiores, tum hodierni, possint clarissime ostendi. Inde historia & vetus & seculorum succedentium ad vsque nostram ætatem strictim exponetur. Succedent illustrium familiarum stirpes, successio- nes & fata. Addentur, quæ ad statum regnorum & pro- vinciarum publicum priuatumque, ad vires, ad opes, ad iu- ra, ad commercia, cognoscenda facere posse censentur. Postremum notitia brevis auctorum, qui suis scriptis sin- gulorum regnorum & regionum historias sunt complexi, porrigetur: & ita omni argumento cura & industria summa fatisfiet

HO-

HORA DECIMA(X.) HISTORIAM NOSTRÆ PATRIÆ (Reichs-Historie) quam aliquoties proximis abhinc semestribus docui, iterum explicabo. Sunt in manibus breues *historiarum Germaniæ institutiones* a me consignatæ & manu scriptæ, in quibus per theses primum historia, deinde iurium publicorum origines, sunt breuiter expolitæ. Vt eas possint Honoratissimi Auditores consulere, ita tamen nunquam desino faciliorem & expeditiorem rationem historiarum tradendi cogitare. Hac autem vice tenebo istum modum, vt primo imperatorum res priuatas, inde bellicas, deinceps regiminis rationes, denique iurium publicorum mutationes & vicissitudinis commonstrem; adiciam novissime Germaniæ principis per omnia tempora successiones, & auctorum, qui possint in quavis historia adiri, seriem.

Has fere lectiones ego hoc semestri Vestris, Honoratissimi Academiæ nostræ Ciues, vsibus destinavi. Præter eas tamen, quas modo memoravi, si qui aut in *Pufendorfii Introductionem in Historiam regnorum*, aut in *Illustris Cocceii Ius Germaniæ publicum* priuatas meas desiderauerint scholas, iis par meum studium atque operam spondeo.

Ceterum priuata mea collegia VI. ID. OCT. auspiciabor, & si maiori placuerit numero auditorum, in mutandis horis non ero difficilis. Deo autem in limine noui laborum ordinis deuotissima mente supplico, vt laboribus decretis clementissime benedicat, eosque fructuosos & felices esse iubeat. P. P. HALÆ PRID. KAL. OCT. clō lccc XIII.

Af 364^a

(1)

ULB Halle


3


001 602 721



Sb.







29

LECTIONES
PHILOSOPHICAS
ET
HISTORICAS
HIEMALES,
PVBICAS ET PRIVATAS
IN
FRIDERICIANA ACADEMIA
INDICIT
IACOBVS CAROLVS SPENER,
IVR. D. ET PH. P. ORDIN.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.